90.

134.

S. D. De dissolutione Ratisbon: colloquij, Blaurere
in Dno Chariss: dubio procul iam antea per Bucerum
nostrum factus es certior. Nihil speravimus aliud
initio, nihil effectum etiam est aliud exitu, nisi
quod Diazius noster vir doctus ac pius fraterna
perfidia caesus e medio est sublatus. Haec fuit
colloquij huius catastrophe, quae tamen & ipsa si
recte capiatur haud mediocri commodo causae
christi prodesse poterit. De Tridentino & Anti-
christiano concilio nihil iam certi adferunt.
Caesaris adventum, opinor, expectant sancti patres,
de spiritu sancto parum solliciti. Caesarem enim
condemnationem doctrinae christi absoluturum. Nos;
semper vero christum dominum nostrum sollicitare, ut
causam suam ipse curet. Liquido videmus
nihil perfici nostris vel consilijs vel con-
natibus. Quid Wormatiae sit actum nescio,
quid non sit perfectum video. Iam secundo
frustra conveniunt quia non coierunt. Coniugat
enim suos, spiritus suo glutino indissolubili.
De Comitijs Ratisbon: nihil hic feruntur, nisi
quod Imp: curae legem Camerae iudicialis tradidit.
usque. Interea Turci denuo magnam christia-
norum multitudinem in captivitatem abduxerunt.
Scripsit ad me Bullingerus de conventu
Helvetiorum Badensi nuper habito, de quo non
dubito quin ita ad te scripserit. Hallerus
pro sua modestia moderate se gerit,
ita ut nihil desyderari possit. [illegible],
Ios quidam, quorum hodie literas accepi,
cantant hunc in suspicionem [illegible] propter
Hallerum vocationem rapi[illegible]us com-
dorum desydero. Sed sumus omnes homines
etiam dum pro religionis zelo quam maximo
duci videmur. Esset nullum modum praepostere
huic aemulationi dari, ac pluresque intelligere
quanto Philosophicae concordiae debeat veros ac
sinceros christianos. Bene in Dno vale. Qui has
reddunt, amici sunt in Dno charissimi, quos non opus
esse ut tibi commendem, alias satis commendatos. Saluta
fratres, et amicos. Aug: 1546 1. Maij Wo. Musc: tuus

Diazius.

Eximia pietate &
doctrina praedito
Dnō Ambrosio
Blaurero Con-
stantiensis Ecclesiae
pastori vigilan-
tissimo, Dnō
& amico cha-
rissimo

Musculus

1546

16 [illegible]